

contra quoslibet recusantes observare firmata vel in aliquo contrafacere per se vel alios presumentes, et omnia et singula alia in predictis et circa ea ac pro premissis necessaria quomodolibet vel oportuna gerendi, faciendi, exercendi et exequendi, eciam si talia essent, que mandatum exigent speciale et in generali commissione non caderent, que eidem circumspectioni huiusmodi, regum accedente tamen ut prefertur consensu, oportuna videbuntur, quibuscumque privilegiis, indulgenciis, exemptionibus et litteris apostolicis generalibus vel specialibus sub quacumque forma vel expressione verborum concessis, per que nullum cuiuscumque, cuiuscumque status, gradus, condicionis vel ordinis eciam Cisterciensis, Cluniacensis, Premonstratensis, Grandimontensis, Calatravensis, Cartusiensis, Vallisumbrose, Camaldulensis, Humiliatorum, sanctorum Benedicti et Augustini, hospitaliumque sancti Iohannis Ierusalemiani, sancte Marie Theutonicorum, sancti Iacobi de Spata seu quorumcumque aliorum ordinum existant, in hac parte volumus afferre suffragium, nequaquam obstantibus, plenam et liberam concedimus tenore presencium facultatem.

Quocirca circumspectioni tue per apostolica scripta committimus et mandamus, quatinus iniunctum tibi ministerium laborum huiusmodi pro divina ac dicte sedis et nostra reverencia devote suscipiens sic illud utiliter sicque sollicito et laudabiliter iuxta datam tibi a deo prudentiam exequaris, quod de tuis laboribus divina favente clemencia desiderati ac pacifici fructus adveniant, quos speramus, tuque illam, que pias pacificasque causas gerentibus celesti retributione impenditur, feliciter consequi palmam glorie mercaris. Nos enim sentencias, quas rite tuleris, et penas, quas inflixeris in rebelles, ratas habebimus et faciemus auctore domino usque ad satisfactionem condignam inviolabiliter observari.

Ut igitur premissa omnia plenius et efficacius sorciantur effectum, per viscera misericordie dei nostri obsecramus ipsos reges, patriarchis vero, archiepiscopis, episcopis ac electis, administratoribus et abbatibus ceterisque ecclesiarum et monasteriorum prelatibus et ordinum quorumcumque prioribus, preceptoribus et magistris exemptis et non exemptis, capitulis et conventibus et eorum locatenentibus in ipsis Francorum et Anglie regnis consistentibus in virtute sancte obediencie districte precipimus, quatinus tibi aut deputandis a te circa conclusionem et observanciam omnium premissorum et cuiuslibet eorundem, quociens ipsos requiri contigerit, faveant modis omnibus et assistant, ut pro salutaris concordie ministeriis inter partes ipsas refloreat pax et quies, prout in desideriiis gerimus cordis nostri, et ultra nostram et prefate sedis benedictionem et gratiam ab auctore pacis valeant eterne beatitudinis munera promereri.

### 1451 August 13.

Nr. 1611

*Notiz in den Libri provisionum consistorialium über die Ernennung von Kardinal Estouteville und NvK zu Legaten in Frankreich und England.*

Or.: ROM, *Arch. Vat., Obl. et Sol.* 72 f. 72<sup>v</sup> und 75 f. 71<sup>r</sup>.<sup>1)</sup>

Erw.: *Eubel, Hierarchia II 30 Nr. 143; Abert-Deeters, Repertorium Germanicum VI 447 in Nr. 4407.*

Die usw. s. d. n. in consistorio secreto creavit legatos de latere pro pace inter Francie et Anglie reges tractanda r. p. d. Andegauensem ad Franciam et sancti Petri ad vincula cardinales ad Angliam.

<sup>1)</sup> Über den Charakter dieser Bücher s.o. Nr. 777.

### zu <1451 August 13>.

Nr. 1612

*Tagebuchaufzeichnung des Andrea da Santacroce<sup>1)</sup> über die Entsendung u.a. des NvK als Legaten nach England usw.*

Or.: FLORENZ, *Bibl. Medicea Laurenziana, Gaddianus 48 f. 75 r.*

Der Papst habe requisitus a dominis aliquibus Galliarum, maxime a duce Burgundie, als apostolischen Nuntius den Marinus de Ursinis, Eb. von Tarent, ausgeschiedet ad indagandum, an Francorum et